

† R. P. Hermannus Tisken (1880-1951)

(Prov. Bonaërensis)



Hermannus Tisken, alias « Hermann von Zündorf », natus est a. 1880 in dicto pago Germaniae, haud ita procul a Colonia ad dexteram Rheni ripam sito, e familia valde christiana, quae nostrae Congregationi tres sodales dedit: Patrem Tisken et FF. Reinerium (qui hodie est octogenarius) et Stanislaum.

Hermannus a natura receperat temperamentum e cholericō ac melancholico mixtum. In iuvenatu Vaalsensi haud semel nos delectabat suis iocis « Coloniensibus », praesertim lusu puparum, qui « Kölsch Hänneschen » audit, et fortasse eo ipso tempore ridebat aliosque ridere faciebat, quo ipse atra bile laborabat (« Galgenhumor »).

Vota religionis emisit Luxemburgi festo Exaltationis S. Crucis a. 1902, ac studiis altioribus vacavit per annum Augustae Trevirorum ad Mosellam, per quinquennium in Geistingen ad Sigam.

Sacerdotio auctus 14 Mart. 1908, eodem anno venit in Vice-Provinciam Argentinam, hodiernam Provinciam Bonaërensem. Ibi per 43 annos animus huius veri apostoli quasi non alia re occupabatur nisi missionibus alfonsianis. Ultimos 25 annos vixit in septentrionali plaga reipublicae, laetum salutis nuntium zelo insigni annuntians animabus vere derelictis. Praesertim illis 20 annis, quibus Saltensi collegio adscriptus erat, evasit magnus ille missionarius Indianorum hominumque inter invios montes dispersorum.

Describi accurate nequeunt ea quae perpessus est in suis iteratis excursionibus apostolicis, visitans loca vel magis dissita et accessu difficillima. Per binos ternosve menses singulis annis ita occupabatur, renuntians hoc

tempore omnibus commoditatibus vitae nostrae domesticae ac paupertatem illorum montanorum participans. Per se nobis cum socio exeundum; verum omnis regula habet suas exceptiones, et attenta speciali condicione illorum viculorum, peculiari indole Patris Tisken atque uberi caeli benedictione, Superiores talem apostolatum solitarium permiserunt¹. Domum autem redux, macilentus, exhaustus, sole ventisque montium arsus, hic vir admirabilis denuo laetus per aliquod tempus solacia vitae communis gustabat.

Praedicatio Patris Tisken erat aliquanto severior, quo efficacius suos auditores a peccato et peccandi occasionibus amovéret, sed in convictu hic missionalis erat potius affabilis, hilaris, festivus. Illi pauperculi, in imensa montium solitudine continuo viventes, alium magistrum habere non solent nisi sacerdotem. Id probe sciens P. Tisken eosque salvare cupiens, fortissime invehebat contra luxuriam et intemperantem usum potus inebriantis, ad quem propter frigora montium vel ipsa iuventus allicitur. Reversus post unum pluresve annos, investigabat, quomodo promissis steterint, praesertim patres familias et locales auctoritates, nec parcebatur admonitionibus, immo et castigationibus. Impaenitentes excludebantur ab omnibus festivitatibus, donec converterentur. Certissime Angeli Custodes hanc missionarii severitatem benedixerunt, et innumerae animae, sic a damnatione servatae, idem facient in aeternum!

Sicut S. Clemens noster, ita etiam P. Tisken externis rebus utebatur ad homines ad Deum attrahendos, ut sollemniis et processionibus; nil enim toto anno hi Indiani vident, quod eos vere delectet. Itaque hic missionalis permultas res secum portabat, et ita quidem collocatas, ut per mulos etiam ad illa cacumina secure portari possent: altare portatile, oleum pro lampade eucharistica, pulchras imagines Matris Perpetui Succursus, vexilla variae magnitudinis, candelas, immo et harmonium.

In ipso loco prima eius cura erat Patronae caelesti dignum thronum erigere. Tum quaerebat necessaria ad conficiendam crucem missionalem, et talem quidem, ut P. Tisken eam adamabat: grandem, cum radiis et inscriptione SALVA TU ALMA! Erectio huius crucis erat magnus eventus missioni cumulum addens eiusque memoriam indelebiliter animis impri- mens. Erat festivitas splendida, iucundissima, religiosa simul et socialis. Huic ultimo scopo inserviebat cursus equorum, in quo tamen nemo partem habere poterat, qui sacramenta intra missionem non recepisset. Regio sep-

¹ Nachrichten der Norddeutschen Provinz, 24-12-1939, p. 54 haec nuntiant de domo Salta: «Der unermüdliche P. Tisken hielt vom 1. März bis 1. Juni eine Missionsreise durch die Seitentäler der Distrikte Sierra Victoria und Iruya, wohin sonst fast nie ein Priester kommt. Das Resultat waren 2000 Beichten, 400 Firmungen, 300 Taufen und 175 Ehen. Um die Arbeitsleistung, die in diesen Zahlen steckt, in etwa zu würdigen, muss man bedenken, dass die Bewohner dieser Gegenden in völliger religiöser Unwissenheit dahinleben und erst in den elementarsten religiösen Begriffen unterwiesen werden müssen ».

tentrionalis Argentinae cooperta est talibus crucibus. Semper sunt colligatae in punctis « strategicis » et adhuc per multos annos narrabunt de magno missionario Armando, amatore Indianorum et montanorum.

Commoto animo P. Tisken interdum referebat evidentia divinae protectionis signa. In quadam regione ab eo evangelizata grassabatur pestis, faciens numerosas victimas; nihilominus ipse, diu nocteque in pestilentia aëre vivens neque ullo modo sibi parcens, plane immunis mansit. — Alias



P. Tisken cum Imagine Matris de P. S. et Cruce missionali, quae inserviebant pro missione urbis Santiago del Estero, ubi nunc noster confrater Excmus Iosephus Weimann est Episcopus.

cum stupore videt cadentem pluviam non attingere viam qua itinerabatur. — Alia occasione inter fulgura et tempestates admirabili modo liberatur.

Solummodo bis infirmitas missionalem solitarium prostravit: Semel ob defectum convenientis nutritionis typhum contraxit, sed convaluit. Alia vice infectio maligna eum fecit paralyticum. Sedens igitur praedicabat et functiones Hebdomadae Maioris pro viribus perficiebat. Fer. III post Pascha, plane exhaustus, cum in equum ascendere nequiret, ab illis bonis Indianis in lectica portabatur longo dolorumque pleno itinere ad proximam civitatem. Medicus, admirans tantam fortitudinem: « Studebimus, inquit, vitam Patris servare, at femur servari nequit ». P. Tisken vero invocavit Matrem de P. S., quae ei et vitam et femur servavit, ita ut per alios 15 annos salutarem suum apostolatum continuare potuerit.

Confrater noster admirabilis, sicut innumerabiles cruces missionales erexit, ita etiam innumerabiles imagines Matris perpetuo succurrentis illorum populorum venerationi exposuit. Praeterea illae duae magnificae

processiones, quae quotannis Saltae in honorem Miraculosi Crucifixi, vulgo *Señor Crucificado del Milagro*, et nostrae Iconis Marialis cum assistentia 20 vel 30 milium fiunt, eius sollerti atque indefessae operae magna ex parte debentur. Idem valet de prima communione parvolorum scholas fiscales frequentantium.

Sed missiones Andium, non alia sacra ministeria, huic singulari apostolatui finem dare debebant. P. Tisken autumno a. 1950 ex Tucumán, ultima sua residentia, novam expeditionem in montes suscepit. Haec eius vires plane exhaustus, ita ut post redditum cogeretur nosocomium certarum religiosarum sibi bene notarum petere. Ibi fer. V, 22 Februarii h.a. secessu pio sese ad ultima sacramenta praeparavit eaque fer. VI pie recepit. Parumper fortificatus, ut saepe post extremam unctionem accidit, sabbato venit ad domum nostram, suos Ministri seu Oeconomi libros ordinaturus. Ibi subitanea, at minime improvisa morte corripitur, bibens scyphum aquae, festo S. Matthiae Apostoli. R.I.P.

E. VISCONTINI - C. HENZE